



Samelbd.

0/0

die,

DE
CAVSSIS ET VITIIS
MECHANISMI
SCHOLASTICI
COMMENTATIO PRIMA
QVA
AD ORATIONES IUVENILES

A. D. V. IDVVM APRILIVM MDCCLXXIII.

BENIVOLE AVDIENDAS

OFFICIOSE INVITAT

CAROLVS HENRICVS SINTENIS

AA. LL. M. RECTOR LYCEI TORGAVIENS.



TORGAVIAE, LITERIS RVIDELIANIS.

ET
CAVSIS ET VITIIS
MICHAELE
SCHOLASTICO
COMMENTATIO
AD ORATIONES
CAROLVS





Quamquam negari non potest, aetatem nostram permagnum illorum scriptorum tulisse prouentum, qui rebus scholarum optime consulturi saluberrima fingendae formandaeque iuuentutis consilia dederint, mirandum tamen videtur, optimum quemque illorum multis locis fabulam maximi ponderis iniquis et difficilibus huc usque narrasse auribus, ita, ut in eam sententiam perducamur, praeconceptas opiniones in rebus scholasticis tam altas in hominum animis egisse radices, ut aequae Herculeo labore, ac superstitiosa et absurda in rebus sanctioribus, extirpandae eradicandaeque viderentur. Omnes in eo conueniunt, scholas esse arbuta, in quibus, pro viribus unicuique infortis, arbores frugiferae crescant, qua vero ratione hae arbores sint colendae, quam curam, quamque sollertiam, ut fructus aliquando ferant, postulent, haec omnia, neque in honorem, neque in commodum aetatis nostrae, a multis adhuc parui putantur. Ad methodum enim multis in scholis adhuc frequentissimam si accuratius attenderis, tot tantaque vitia deprehendas, necesse est, ut vix credas, nos in emendanda docendi ratione quidquam debere saeculo. Obtinere inueterata quaedam pueros et iuuenes in-

stituendi ratio, qua neque tempori, neque utilitati discipulorum consulitur, sed multa agendo nihil agitur, nugis et ambagibus institutioni commissorum progressus impediuntur, et spes parentum, de filiis concepta sanctisque magistrorum promissionibus sustentata, irrita facta fallitur. In primis vero Mechanismus iste scholasticus tot tantaque institutioni affert incommoda, ut non nisi hoc expulso et proscripito, solidae et exquisitae doctrinae fundamenta in scholis ponantur. Operae igitur pretium putavi, causas et vitia illius, quo partim instituendae iuuentuti melius prospiceretur, partim solemnem nonnullorum disciplinae nostrae alumnorum in dicendi facultate exercitatio rite et pro more indiceretur, diligentius perquirere.

Mechanismus scholasticus est peruersa ista et perniciosa ingenii colendi ratio, qua memoriae tantum consulitur, intellectus facultate, eiusque crebra exercitatione, penitus neglecta. Discipuli omnia, quaecunque sint, tam quae intellexerint, quam quae pro intellectus imbecillitate et infantia percipere non poterint, timore poenae impulsu, memoriae fidelissime mandant. Interrogati igitur ad primam responsionem tam prompti paratique sunt, ut et magistri instituendo fidem, et discipulorum in discendo industriam immo assiduitatem sexcenties mireris, quodsi vero ex iis rationem eorum quae didicerint, quaesieris, anxie, *hoc nos respondent, magister non docuit.* Quis est, qui sine maxima commiseratione has machinas, formam et speciem humanitatis praese ferentes, intueatur? semper, ut omnis machina, more consueto agunt, in respondendo sunt simplices, vel eundem semper sequuntur ordinem eandemque consuetudinem, et simul ac, quaestionibus interpositis, hunc ordinem turbaueris, statim haesitant, ut omnis fere rationis et sensus, qui dicitur communis, expertes videantur. Nonne putares, unumquemque asinum vel canem, si modo loquendi facultate esset praeditus, pares in literarum curriculo progressus facturum? prouida vero Summi Numinis cura
prae-

praeter loquelam et inferiores animi dotes, ad quas referenda est memoria, aliam adhuc, eamque longe praestantiorum excellentiorumque homini largita est facultatem, qua res obuias distincte sibi repraesentet, diiudicet, veraque a falsis discernat. Haec facultas, iam in tenerrima aetate exercenda, Mechanismo scholastico, ut quilibet statim animaduertit, penitus negligitur, ita, ut, proh dolor! puerum inrer, tali institutione corruptum, et brutum quodcumque parum intercedat differentiae. Antequam vero pro instituti nostri ratione causas huius Mechanismi scholastici indagemus, monendum videtur, illas pro diuersitate Mechanismi varias atque diuersas esse. Mechanismus nimirum scholasticus duplicis est generis, alius, quo puer in elementis linguarum, alius, quo iuuenis in legendis auctoribus classicis corrumpitur. Pro veterum Grammaticorum diuisione ille dici posset *technicus*, hic vero *exegeticus* et *criticus*.

De *technico* institutionis Mechanismo nobis in praesentia sermo est, de *exegetico* et *critico* alio tempore verba faciemus. Videamus igitur, qua docendi ratione multi utantur, puerum ut elementis linguarum imbuant. Quilibet mihi largitur, omnem curam omnemque operam esse adhibendam, ut pueri, quo facilius feliciusque ad sublimiora altioraque progredi possint, elementis instituantur, et nihilo tamen minus multi scholarum magistri, quorum institutioni iuuenes in lectione auctorum classicorum exercitandi traduntur, mecum consentiunt, multos saepe errores in tradendis linguarum elementis committi. Primus liber, qui in manibus pueri versatur, pro more et Mechanismo hoc scholastico est sanctus *Rhenii Donatus*, liber nugis plenissimus, et innumeris ambagibus, quibus multum temporis teratur, accommodatissimus. Quodsi enim ea tantum methodus apta et idonea dicitur, in qua praemittis, ex quibus sequentia clariora reddantur, certe haec docendi ratio, quae a Donato incipit, a quolibet sapientiore absurda et peruersa nominari meretur. Omnium prima statim huius libelli quaestio: *Quot sunt partes orationis?* tam in-

falsa tamque ieiuna est, ut nulla ineptior excogitari possit. Fin-
gas tibi, quaeso, puerulum, cui magister prima statim institutio-
nis hora notionem nominis, pronominis, verbi, participii, aduer-
bii, praepositionis, coniunctionis et interiectionis distinctam, im-
mo tantum claram reddere possit, is puer sit mihi oraculum Del-
phicum, et magister ex quouis ligno Mercurium ficturus videtur.
Sit tamen Donatus, ne iura eius inueterata manu profana violem,
sit omnium librorum latinorum primus, qui innocenti puero ite-
rum iterumque commendetur, si modo ea cum puero legeretur
methodo, qua saltem aliquid ad exquisitam et diligentem institu-
tionem conferret. Sed nunc incipit puer flectere nomina et verba
ad formas in aureo isto libello praescriptas, et quomodo? quasi
iuratus in ordinem casuum, temporum et personarum. Decies
hoc ordine reperito, periculum facias, num puer extra hunc or-
dinem vocem aliquam flectere didicerit, euoluas, quaeso, aucto-
rem aliquem, et quaeras ex puero, quis hic sit casus, quale tem-
pus, et quae persona, tunc obseruabis, illum in mente formam,
cui haec vox respondeat, quasi abacum Pythagoricum, consule-
re. Hic igitur est primus gradus, quo puer, duce Mechanismo
technico, per varios Nominum casus, per tot discrimina Verbo-
rum tendit in Latium. Nunc illum sequamur in *Langii colloquia*.
Hic enim libellus, quod probe teneas, est primus auctor classicus,
qui, cum collegae eius vires pueriles superare putentur, cum pue-
ro legitur. Qui vero huic libello viam ad scholas muniuit, is
aeque deperditi saporis, atque ignorantiae in eligendis auctoribus
classicis, documentum exhibuit. Negare quidem non possumus,
hos libros, qui dicantur classici, a talibus viris posteritati esse tra-
ditos, qui maxima eruditione conspicui, et in summo dignitatis
auctoritatisque fastigio collocati, certe non eum in finem scripse-
runt, ut pueri post aliquot saecula ex illorum scriptis linguam la-
tinam sibi familiarem redderent, vel exempla ad collustrandas re-
gulas grammaticas colligerent, nihilo tamen minus sola sunt an-
tiqui

tiquitatis monumenta, quae pueris, ob venustatem et ornatum in scribendi ratione, illis ut mature assuefacti imitationi studeant, innotescere, et quoad verba saltim explicari debent. Res et materiae in illis obviae, quae viribus puerilibus non sunt accommodatae, in iuuentutem et adolescentiam referuntur. Auctores classici enim per se saepius, quam semel, sunt legendi, et aliud legunt viri, aliud vero pueri. Forte tamen dices, forma dialogistica mirum in modum auget pueri attentionem discendique cupiditatem, et nisi fallor, haec grauissima est causa, cur colloquia, in scholis recepta, huc usque retineantur. Quodsi vero haec sermonum forma solum est medium augendae attentionis et discendi cupiditatis, ita, ut methodus magistri nihil ad illam excitandam conferat, cur non eliguntur *Cassellionis colloquia*? quae maiori orationis latinae ornatu sunt elaborata, quibusque intelligendis historia sacra, ex bibliis puero iam cognita, succurrit, vel intellectu facillimae ex *Phaedri fabulis*, quibus aequae faciles puer praebere aures? Sed retineantur, saluis auspiciis, haec *Langii colloquia*, si modo Mechanismo in illis legendis nullus daretur locus. Perpendas enim methodum, quam plurimi sequuntur. In transferendo ad verbum magister praecipit, et repetita hac translatione, discipulum euocat, qui, facta hac magistri repetitione, versionem tam fideliter memoriae vel chartae mandauit, ut fere ne vocem quidem in ea mutet; re vero nihil aliud facit, quam ut voces obscuras aequae obscuris exprimat. Laudatus tamen a magistro acquiescit, sibi gratulans, ut victor in Olympiis. Nunc vero progrediuntur ad resolutionem vocum grammaticam, et hic opus erit, ut nonnulla illius exempla proferam. Legitur e. g. *fratrem suum magni aestimo*. Omisiss iam aliis quaestiunculis, magister scire cupit, unde hic casus secundus *magni*, et discipulus regulam in promptu habet: *aestimandi verba*, damit man adhet, oder hält, praeter *accusatiuum rei aestimatae* *hos fere genitiuos pretii asciscunt*, *magni, maximi, pluris etc.* Qua regula recitata, omnis

lis

lis grammatices est composita, et causae illius, qua verbum *aestimare*, quod tamen est verbum actionem indicans, casum secundum regat, quaque indaganda pueri intellectus acui et limari possent, nulla amplius habetur ratio. Aliud exemplum huius Mechanismi, nisi breuitati studeremus, nobis suppeditare possent haec verborum combinationes: *frater est domi, poeniteat te pigritiae, mendacem oportet esse memorem, parcere alicui, etc.* in quibus omnibus magister, sola regularum citatione contentus, discipuli intellectus facultate penitus neglecta, tantum memoriam eius reddidit tenaciorem. Sed unde copia vocum? sola colloquia non sufficiunt ad illam comparandam. En tibi *Cellarii latinitatis librum memorialem*, ex quo puer, iussus a magistro, in qualibet lectione duas vel tres paginas memoriae mandat. Antequam vero de pretio huius libelli verba faciamus, pauca, ne eius auctori gloriae quid iniuste detraxisse videamur, praemonuisse non poenitebit. In addiscendis vocibus primae notionis, ex qua omnes reliquae, quasi ex fonte hauriuntur, praecipua habenda est ratio. Nam, ut nihil de tropis dicam, quorum translatae significationem non nisi ope propriae significationis interpretari possumus, saepe accedere potest, ut primitiuum prima notio si nos fugiat, originem significationis deriuati ex primitiuo ignoremus. Quamquam igitur non omnes vocum significationes a puero expectantur, omnium tamen primam et frequentissimas, quo pauciora in legendis auctoribus classicis adsint impedimenta, sciat, necesse est. His praemonitis, verum pretium huius libelli *Cellarii* statuamus. Ne minimum quidem responderet fini scholastico, cum in qualibet fere pagina voces deprehendantur, quarum proprias et frequentissimas potestates silentio oppressit Cellarius. Non opus erit, ut multis exemplis hoc comprobemus, qui tamen illorum nonnulla desiderat, euoluat voces: *ambitio, anima, arx, atrium, balbus, calumnia, caput, causa, indusium, micare, moles, publicanus, unicus.* Nonne igitur ex solo Mechanismo talis liber puero traditur?

Opta-

Optarem quidem, ut aliud copiae vocum colligendae medium, praeter frequentissimam auctorum classicorum lectionem, commendare possem. Talis enim liber nobis adhuc deest, qui in commodum puerorum sit conscriptus, et forte nunquam haec inopia nobis leuabitur, quia non mediocris eruditionis esset negotium, et viri eruditionis splendore celebres, sublimioribus tempus consecrantes, in hoc labore non desudant. Quid? quod nihil etiam refert, quia vocum significationes non ex vocabulario quodam, sed ex contexta orationis serie, sunt determinandae. Crederem tamen, *Gesneri* operam in Thesauro, et Celeberrimi *Ernesti* in praestantissima clauae Ciceroniana, una cum obseruationibus Summorum Criticorum, multum adiumenti ad talem librum conscribendum, allaturam.

Sufficiant haec ad describendum luctuosum et maxime pestiferum scholarum Mechanismum, eumque *technicum*. Operam nunc demus, ut causas atque originem tanti mali scholastici animo fidelissimo inuestigemus, spe freti, fore, ut nonnulli sint, qui illis remouendis scholarum salutem curae et solertiae commendatam habeant. In re tanti ponderis tantique momenti, quanti mihi semper institutio pueri est visa, nullus labor est fugiendus in mutandis et emendandis omnibus, quae fini obsint. Quemadmodum enim in semente, sic in pueritia spes messis est, ita, ut, hanc si neglexeris, omnis iuuentutis et adolescentiae spes irrita fiat. Duae vero potissimum sunt causae, ob quas Mechanismus in scholis huc usque obtinuerit. Prior illarum haec est: magistri sibi persuasum habent, hanc methodum pueritiae instituendae esse aptissimam et accommodatissimam. Credunt nimirum, aetatis puerilis imbecillitatem impedire, quo minus eo institutionis progrediantur, ut exercendae puerorum in iudicando facultatis rationem habeant. Animum enim, et in primis mentem puerorum densissimis nebulis et stupiditatis nubibus inuolutam putant, quae quasi nullo fulgore nullaque institutione prius dissipandae videantur.

tur, quam ab ipsa demum natura, sequentibus annis, dispulsae etianescant. Quid igitur, aiunt, melius, quid salubrius, aetatique conuenientius, praeter memoriae exercitationem, facient pueri? faciant enim aliquid, ne primum statim vitae tempus turpi otio perdat,ur, necesse est. Huic accedit, ut initia literarum, teste Quinctiliano lib. I. instit. orat. sola memoria consistat, quae cum in paruis sit tenacissima, iure meritoque talibus rebus, quae memoriae sunt infigendae, nutriuntur. Sed ex ipso Quinctiliano l. c. illis ut respondeam, *non tam discantibus in hac parte, quam sibi parcere videntur.* Legant Quinctilianum, optimum scholae magistrum, et veteris eloquentiae resuscitorem, dicentem in antecedentibus: *certe quamlibet parum sit, quod contulerit aetas prior, maiora tamen aliqua discet puer, eo ipso anno, quo minora didicisset.* Non omnem enim iudicandi facultatem Summum Numen denegasse pueris, quaestiunculae comprobant quibus rerum in sensus incurrentium conuenientiam et repugnantiam sibi clariorem reddere velint. Dantur certe in pueris scintillulae quaedam iudicii, non exstinguendae, sed potius inflammandae. Quid igitur censendum videtur de illa docendi ratione, quae uni tantum puerorum facultati, eique inferiori, memoriae nimirum, consulit, superiore facultate intellectus, eaque longe praestantiore, penitus neglecta? Num pueritiae instituendae videri potest aptissima et accommodatissima? Quodsi vero instant, ipsum Quinctilianum initia literarum solius memoriae negotium nominasse, sciant, Quinctilianum hoc non absolute, vel sine ulla limitatione, sed facta elementorum cum sublimioribus disciplinis et scientiis comparatione dixisse, ita tamen, ut nemo necessaria conclusione ex his verbis deducere possit, initia literarum sine omni facultatis intellectus exercitatione esse addiscenda. Tantum enim iudicii acumen elementa non postulant, quantam memoriae facilitatem atque tenacitatem. Haec igitur prior fuit causa Mechanismi in scholis technici, videamus, num posterior maioris sit grauitatis atque

que ponderis? Ante multa iam saecula, aiunt, haec docendi ratio est recepta et multi viri, amplissimis honoribus huc usque perfuncti, huic methodo scholasticae omnem doctrinam debent, cur igitur opus esset, ut, nouitatis studio impulsus, a pristina et inueterata institutionis ratione nos retineri pateremur? Sed haec plane nulla est causa, et longe aliam dissimulare videtur. Quis enim sapiens iniquum putaret, a maiorum consuetudine et institutis, urgente necessitate, cognitis nimirum illorum defectibus, recedere? unde vero probatur, amplissimos illos viros, quicumque sint, omnem eruditionem tali institutioni debere? quae arrogantia scholastica! nonne multi illorum de institutione scholastica conquesti fatentur, se iuuentutis et adolescentiae indefessa industria immo sedulitate puerilis disciplinae emendasse vitia? magnus e contrario numerus est illorum, quibus prouida Summi Numinis cura eas ingenii dotes, quae ad faciendam et compensandam primae institutionis vitia necessario requirantur, denegauerit, et qui in instituendo neglecti clamitent: *Heu mihi praeteritos referat si Iuppiter annos!* Sed, ut iam dixi, haec causa longe aliam, quae vera est, dissimulat. Quanam igitur haec est? retinetur a magistro haec inueterata pueros fingendi ratio, vel Mechanismus technicus, ne, facta methodi ratione, in suspicionem incidat, se absorta et inepta pueros docendi ratione huc usque usum, seque ipsam in pueritia elementis falsa et peruersa ratione esse imbutum. Quo igitur semel est imbuta recens seruat odorem testa diu. Quodsi vero perpenderit magister, longe multumque praestare, inspiens videri, quam esse, sperare possum, fore, ut aures mihi praebeat beniuolas.

Cur vero tot tantaeque de Mechanismo scholarum technico querelae? quae incommoda affert, quaeque habet vitia? certe tam capitalis pestis nominari meretur, ut scholarum interitum sensim sensimque paret, hinc sollicitè prospiciendum, ne detrimentum capiant. Praecipuum, quod habet, vitium est, ut, soli memoriae

consulens, omnem acuendi limandique iudicii puerorum occasi-
nem dimittat. Non opus est, ut multis argumentis comprobem,
intellectus facultatem iam in pueris crebra exercitatione esse con-
firmandam atque corroborandam. Neminem enim in concedendo
tam difficilem credo, quin mihi largiatur, eam animi facultatem,
quae ad augendam hominis prae ceteris animalibus praestantiam
plurimum conferat, eo maturius esse fingendam atque exercendam,
quo similiores nos brutis reddat illius negligentia. Quodsi vero
intellectus, cuius operationibus res distincte nobis repraesentamus,
et relationem duarum notionum, inter se comparatarum, vel per
se, vel tertium assumendo, cognoscimus, ea est animi facultas, qua
hominis prae ceteris animalibus praestantia luculentissime apparet,
eo maturius eius tenebrae et caligines sunt dissipandae, quo minor,
illo neglecto, inter nos et bruta intercedit differentia. Videas, tam
neceffe est, ut pueri intellectus in tenerrima aetate eo modo exer-
ceatur, qui viribus eius sit conuenientissimus. Sed praeter hoc in-
commodum, quod tamen luctuosissimum est, alia adhuc ex hoc
Mechanismi technici vitio, quasi ex fonte turbulentissimo, sunt de-
riuada. Permulta enim puer discit, sed nullius rei, quam didicit,
rationem sufficientem perspicit, ut plane ignoret, cur hoc didicerit,
et cur hoc, quod didicerit, sic se habeat, et non alio modo? Me-
moriam nimirum, ut duo tantum exempla proferam, hanc regu-
lam infixit: *omnia verba actiua accusatiuum patientis asciscunt, sic
et deponentia, quae actiue significant.* Quodsi nunc ex illo quaesie-
ris, cur *parco*, quod verbum non est Neutrum, ut multi putant,
sed Actiuum, *grarulo*, et multa alia, cum casu tertio coniungan-
tur, aquam potius e silice, quam responfionem ex puero, expri-
mes. Porro e *Sebmidio* hanc regulam didicit: *quamuis, licet, ut
pro quamuis, Coniunctiuum asciscunt.* Quaeras ex illo, quomodo
feri possit, ut vox *licet*, quae tamen sit Verbum, nequaquam
vero Coniunctio, Coniunctiuum regat? quaeras, num vox *quam-
uis*, quae aequae ac vox *quamquam*, casus quartus pronominis sit,
sem.

semper Coniunctiuum postulet, vel qua tantum conditione hunc modum exigat, et statim haerebit aqua. Quantos denique cum iuvene, cuius intellectus inde a pueritia hebes atque obrusus est, in legendis auctoribus classicis, et in disciplinis, progressus facies? legas cum illo pensum, quodcunque velis, et periculum facias, num, clauso vel remoto libro, argumentum enarrare possit? in lectione in primis poetarum quaeras ex illo, quomodo haec vel illa in oratione non ligata fuissent exprimenda, et unde orta sit venustas et sublimitas poetica? At memoriae exercendae consulit Mechanismus scholarum technicus? Certe credas, ne huic quidem. En igitur nouum, quod habet Mechanismus, vitium. Verum quidem est, quod Cicero docuit, *memoriam minui, nisi eam exerceas*, sed experientia edocti scimus, illas res multo facilius memoriae mandari, quas distincte perceptas, probe intellexerimus, quam quae confuse et obscure animo fuerint repraesentatae. Superiores animi humani facultates cum inferioribus arctissimo operationum vinculo sunt coniunctae, hinc intellectus, cognitione symbolica et cognita relatione notionum mutua, memoriae facillimo negotio succurrit. Quot igitur tormentis excruciantur pueri, quorum memoria, intellectus adiniculo destituta, ad res sibi imprimendas cogitur! nonne timendum est, ne hoc labore fracti, fastidio quodam et satietate a literarum studiis abalienentur? quid? quod Mechanismus hic technicus non solum facilitatem, sed etiam tenacitatem memoriae impedit. Fieri enim non potest, ut memoria teneat ea, quae intellectus iudicandi operatione quasi non enodauerit. Huius enim perustratione notae rerum ita insigniuntur et insculpuntur memoriae, ut illarum ope imago rei praeterita et quondam perceptae, semper in illa renouetur. Quoties vero accidit, ut iuvenes, quae in pueritia tractauerint, saepe denuo discere et magna industria in memoriam sibi reuocare cogantur? Qua igitur ratione Mechanismus memoriae contulatur, certe non video. Fingas tamen, memoriae facilitatem et tenaci-

*facilitatem impetrari Mechanismo, quid prodest puero vel felicissima memoria, illam nisi vis intellectus comitatur? omnes philosophi mecum consentiunt, facultatem regulis Grammatices convenienter loquendi et scribendi non ope memoriae, sed iudicii acquirendam esse, neque illum discipulum his regulis Grammatices in loquendo et scribendo esse responsurum, qui omnes regulas sciat, sed illum, qui tanto iudicii acumine polleat, ut in applicatione harum regularum ab omni errandi periculo liber sit. Utinam igitur omnes puerorum magistri memores essent illius, quod MORHOFIVS, qui QVINCTILLANO in puerorum institutione iungi meretur, suavit, dicens: *duae sunt praecipuae ingenii, ut ita dicam, partes, IUDICIUM ET MEMORIA. Haec quidem plurimum aestimatur, nec immerito, quod in omnibus disciplinis maximus eius usus sit. Tot enim in singulis sunt praecepta, tot variae res memoria comprehendendae, sine quibus nihil omnino effici potest. Philosophus uniuersam rerum naturam, tot corporum, tot artium nomenclaturas et regulas, animo tenere debet, Theologus veteris nouique Codicis libros, ac Patrum decreta, Ictus leges ac responsa veterum prudentum, Medicus herbarum, morborum medicamentorum nomina in promptu habere debet. Quae omnia et multa et magna esse quidem fateor, verum nisi illa eximii iudicii vis comitatur, nulli humano generi usui illa omnia erunt.* PRAECIPVVM ERGO STVDIVM IN IVDICIO DIRIGENDO ADHIBERI DEBET, VIDENDVMQVE, QVAE AD ILLVD FIRMANDVM SVBSIDIA ADVOCARI POSSINT.*

Consilii et instituti memor, cum, quaecunque sint, eum in finem sint prolata, ut mihi aditum ad Auditores Humanissimos inuitandos pararem, primae commentationi de causis et vitiis Mechanismi scholastici finem impono. Craftino die Veneris animi nostri in atrocissimi, quod Christus pro genere humano perpeffus est, supplicii contemplatione sunt defixi, hinc nonnulli iuuenum nostrorum
rum

rum pio in Christum animo consilium ceperunt, huius tristissimi simul vero etiam saluberrimi diei religionem orationibus publicis in lingua germanica celebrandi. Hinc

- I. CHRISTIANVS GOTTLOB CLVGIVS, Pakischio-Misnicus, *de splendore diuinitatis Christi in cruce*, disseret.
- II. IOANNES HENRICVS GENTSCHIVS, Kreisshouienfis-Misnicus, *de malefici in cruce cum Christo mortui in paradysum introitu*, in Carmine dicet.
- III. CAROLVS GOTTLOB GEYERVS, Belgora-Misnicus, *de sapientiae diuinae documentis in sepultura Christi* ager.
- IV. IOANNES GEORGIVS SCHVILERTVS, Torgauiensis, et
- V. IOANNES CHRISTIANVS SIGISMVNDVS SINTENIS, Seruesta-Anhaltinus, *de Christi vita et morte* sermones miscbunt in oratione ligata.
- VI. IOANNES CHRISTIANVS RICHTERVS, Neidenfis-Misnicus, *Christi sepulturam* praedicabit meritoriam.

Quos oratores iuuenes, ut VIRI ILLVSTRES, SVMME REVERENDVS EPHORVS LYCEI VICARIVS, SENATVS AMPLISSIMVS, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDI, LYCEI MAGISTRI, et reliqui MVSARVM AMICI, cras, audita hora IV. finitis sacris pomeridianis, audire velint, humanissime oro rogoque. Dedi Torgaviae, a. d. VI. Iduum Aprilium A. O. R. MDCCLXXIII.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
was 75 flut /

R

VD 17





M I

AD

CAR

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta


White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.



TIIS

ISMI

CICI

RIMA

VENILES

DCCLXXIII.

DAS

T

SINTENIS

RGAVIENS.

DELIANIS.

55

